

fuiſſet recte intellectum. f) Recte intelligi non potuit, niſi eo fine fuiſſet lectum. Iam colligo. Q. a) docebant ſupernaturalia; b) habebant ſupernaturalium notitiam & aſſenſum generalem; c) ſupernaturales effectus producebant; d) notitiam ſuam ex verbo Dei depromebant; e) verbum Dei recte intelligebant; f) illud eo fine legebant: illi non omnis prorsus gratiae S. S. erant expertes. Ratio a) Supernaturalia ignorat natura, Matth. XVI, 17. b) ea non percipit, neque percipere poteſt, 1. Cor. II, 14. c) qualis effectus, talis cauſa; d) verbum Dei eſt liber gratiae, non naturae; e) cum gratia S. S. indiuiſo nexu eſt copulatum; & propterea f) citra gratiae S. S. aſſiſtentiam neque legi poteſt, eo fine, vt intelligatur, nedum recte intelligi. Atqui Phariſaei. Ergo,

§. 3. Quum itaque negari non poſſit, Phariſaeos gratia Spiritus S. quadam fuiſſe gauiſos, quae, quia, ob abſentiam ſaluificae fidei, *inhabitans* non fuit, recte *aſſiſtens*, vel *adminiſtrans*, aut etiam *officii* appellatur: nihil obſtat, quo minus vel aliis etiam miniſtris eccleſiae impiis, notitiam rerum diuinarum, ex verbo Dei hauſtam, habentibus, gratia *aſſiſtens* vindicetur, vel etiam diſtinctio inter gratiam Dei *aſſiſtentem*, & *inhabitantem*, tanquam a) in ſacra ſcriptura, Apoc. III, 20. b) in *Aug. Conf. Artic. V.* cf. CARPZOVIVS in h. l. c) in ipſa rei natura, quum Subiectis, ordine, forma, gradibus, fine, & effectu differant; d) in *fidei analogia*, & c) *conſenſu* denique doctorum eccleſiae CLVVERI, HÜLSEMANNI, HOEPFNERI, GVIL. LYSERI, CARPZOUII, RAPPOLTI, & aliorum, fundata, retineatur, ut adeo perperam D. JOACH. LANGIO in *Anti-Barb.* diſtinctio haec *noua*, *quadragenaria*, vel *quinquagenaria* dicatur. p. 170. ſeqq. Hoc enim falſum eſſe, ex CLVVERI, HÜLSEMANNI, LYSERI, aliorum, qui ante controuerſias Calixtinas vixerunt, exemplis, oſtendit Dn. D. WERNSDORFFIVS in *Aſſert. doctrinae de Grat. Do-*
cente, Diſput. I. C 2 II. No-